31

Alexander Papa VII.

Dilecti Filij, Nobiles Viri Salutem, et Apost. benedictionem.

Ingenti, Eximioq. gaudio cor Nostrum, ac mentem Nobilitates Vestræ compleverunt iis litteris, quibus receptos à Vobis in nobilissimam Urbem istam, vestramq. omnem ditionem Soc. Jesu Religiosos viros significatis. Rem Enim summis, maximisq. difficultatibus hactenus impeditam, ac frustra alias tentatam, tam libenter, tanta cum filialis animi declaratione, Nostra causa, Nostroq. duntaxat rogatu vos fecisse intelleximus. Ut meritò uberrima ea lætitia fuerit, quam ex devotione Vra percepimus, ac pro qua in Amantissimi patris spiritu, ac dilectione complexi Vos sumus, nec unquam tantam erga Nos benevolentiam, tam paratam voluntatem ex intimo Nostro sinu, ac visceribus excidere passuri sumus. Nam cum insignem in præsentia fructum retulimus singulari Vra observantia, ac pietate perspecta, tum grandiorem longè in posterum capiemus ex utilitate, ac profectu, quem amplissimum iidem Religiosi Vri Vobis afferent. illi Enim ut boni, ac fideles Christi servi Vra benignitate adiuvante, Domino autem incrementum præbente, non degeneres à radice, in qua plantati, ac fundati sunt, fructus dabunt tum novo præsidio, ac veluti muro circumcingent florentissimam Urbem istam, iuventutem in litteris, Deiq. timore erudiendo, Divinæq. gloriæ toto corde inserviendo, atq. orationibus insistendo, in quibus Vri beneficij memoriam crebrò facient, confugientq. ad Deum in tempore opportuno, hoc scilicet tempore, quo Dominus in furore, atq. ira nos requirit, quo tantæ, ac tam acerbæ sunt Christianæ Reip. calamitates, atq. undiq. insurgunt impugnantes nos filij tenebrarum, et inimici Crucis Christi; cum quorum superbissimis, ac potentissimis quoniam præcipuè Vobis res est, non modò precibus, atq. orationibus ad Dominum Exercituum sine intermissione clamabimus, ut exaltetur dextera eius in Gentibus, quæ non invocant nomen ipsius, sed etiam Nostris-met viribus quantum licebit per tantas tribulationes, quæ invenerunt Nos nimis, res vestras, causamq. libentissimè suscipiemus. Exigit hoc à Nobis pietas ipsa, de qua agitur, Exigit Eximia observantia Vra erga Sanctam hanc Sedem, cuius maiestatem in humilitate Nostra veneramini: id denique flagitat paternus amor, quem iure peculiarem tam parata filialis animi voluntate promeremini, et quem Christi glutino in dies magis Vobis cupimus adolescere. Venerabilis frater Carolus Episcopus Aversanus Noster Apostolicus Nuncius, qui litteras Vras uberrimè suis est prosequutus, idem etiam has Nostras disertius suis verbis complectetur. Deus inclytam istam Remp., sapientissimumq. Senatum veræ Religionis bono, ac nominis Christiani gloria servet incolumem, ac Nobilitatibus Vris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam M. sub annulo Piscatoris die 27. Januarij 1657. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Natalis Rondininus.